

P V I S



1 6 0 3


POEMATA
 DE TRIBVS PRIN-
 CIPIBVS ANHALTINIS,
 NATIS VNO ANNO DE MAIO
 AD MAIUM NUMERATO, AC TRÆCITVB
 de recens nato Principe Christiano filio Illustrissimi
 Principis ac D. D. Ioachimi Ernesti Principis
 Anhaltini, Comitis Ascania &c.

Autoribus

GERVASIO MARSTALLERO
 Doctore: Medico Anhaltino,

Et

STEPHANO SCHIRMEISTER
 Naumburgensi, artium Magistro.



WITTEBERGÆ ANNO

M. D. LXVIII.

27

PRECATIO
PRO FACILI AC
FELICI PARTU ILLUSTRIS-
SIMAE PRINCIPIS AC DOMI-
nae, Dominae HAGNAE, Coniugis Illustris: Principis
atq; Domini, Domini IOACHIMI ERNESTI,
Principis Anhaltini &c.

Svmme Pater, qui cuncta regis, qui cuncta guber-
S Qui das, qui seruas, quæ bona, cuncta tuis, (nas,
Cuius & auxilio cum coniuge foemina iuncta
Optatam prolem concipit, auget, alit,
Cuius praesidio parit, eluctataq; gaudet,
Et figit soboli basia multa sua,
Mitis ades nobis iterum, hic vbi praeterit vrsi
Castra Sala vndosus, te Pade iuncte, vorans.
Stematis Ascanij genitrix, Hagne inclyta Princeps,
Sentiatur optatam parturientis opem.
Sit felix iterum Maius, qui recreat annum,
Ex tellure vocans quæ tumulauit hyems.
Nondum percurrit duodena animalia Phæbus,
Huic primogenitum quod dedit ille Ducem.
Huic etiam fratrem iungat feliciter idem
Maius, & Ascanium floreat inde genus.
A 2 Nondum

Nondum præterijt felix optatus & annus,
Protulit Heroës qui tibi, Anhalte, duos.
Tertius hoc ipso veniat puer inclytus anno:
Exeat hac idem qua benè cæpit ope.
Vne Deus, trino qui te sub nomine monstras,
Fac sit vt hæc triplici dote redaucta domus.
Sub numero trino perfectio dicitur esse:
Sit tua sub pueris gratia plena tribus.
Longæuus patriæ sit vterq; Georgius hæres,
Pro votis sobolem cernat vterq; suam.
Tertius accedat, quartus mox inde sequatur:
Sint rami & flores arbori vtriq; sui.
Vtraq; Anhaltini generis stet firma, sit ampla,
Sit florens arbor vi, Pater alme, tua.
Sic multis duret domus hæc innixa columnis,
Commoda sit populis, grata placensq; Deo.

Geruasius Marstaller Doctor &
Medicus Anhaltinus VI. Calend.
Maij, Anno 1568 cum Seruesta
proficisceretur Bernburgum, ad
dictam Principem parituram
propediem F.

Gratis

GRATIARVM

ACTIO PRO FE-

LICI PART V.

SANCTE pater, gnatum propter mortalia curans,

Sanguine qui lauit crimina nostra suo,

Quas tibi soluemus tanto pro munere grates?

Quod generi Ascanio lux hodierna dedit.

Nempe quòd aucta nouo domus hæc sit Principe, An-

Quòd iam sustineat quinta columna iugū. (halti

O pater, ô Fili, ô par numen vtriq;, sub hisce

Nominibus reparans nos Deus vne tribus,

Quàm sine fine tuus fauor adiuuat omne, quod vnum

Te propter Christum voce animoq; rogat,

Quàm benè parturiens vno bis fortiter anno

Vna Hagne Princeps inclyta sensit opem.

Nona dies Maij dedit huic, fauitq; priorem

Heroëm, mensis quem duodenus habet:

Nec prius hæc eadem redijt, quin quæreret ortum

Heros alter ei, qui modò natus adest.

Protulit vndecimus Maij hunc quoq; sydere fausto,

Post mediam lucem cum propè quarta foret.

Venit vterq; tuo dono, tu mitis vtrunq;

Huic patri, & huic matri, his tu populisq; faues.

His pro muneribus tibi gratia lausq; perennis

Cantetur, veniant thuraq; multa tibi.

A 3 Nil



Nil aliud tibi ferre queunt mortalia corda,
Quin etiam dant hæc munere sumpta tuo.
Ergo age contentus verbis rudibusq; Camænis
Principibus porrò mitis adesto pijs.
Eac rata sint & firma illis sua gaudia: frugi
Sit proles omnis nata favore tuo.

F I N I S.

CARMEN DE TRIBVS
PRINCIPIBVS ANHALTI.
nis vno anno natis &c.

TEmpus erat, Cæsar quo Maximus Æmylianus,
Sumtibus imperij numerofo & milite fortis,
Threicio Vngariæ fines auferre tyranno
Tentabat: celebri nuper digressus ab vrbe
Augusta, fluuij quam cingunt Vinda, Lycusq;
Secula natalem Christi ter quinq; secuta
Iam fuerant, nouies ac septimus insuper annus
Fluxerat, hos vltra iamq; annus tertius ibat.
Tum decus Ascaniæ gentis VVolfgangus, Anhalti
Gloria, grandæuus post multa trophæa locata
Vltima fata ferens in Christo pectore forti
Hæc superos, inter sua cætera vota, precatus
Dixit,

Dixit, ad astriferum manibus directus Olympum.

O pater humani generis mortalia curans,
Et varios populos producens ordine certo,
Hunc seruire iubens, hunc rerum sceptrum tenere,
De gente Ascaniæ veteris qui meq̄, meosq̄
Maiores mitis legisti, vt collis Anhalti
Herões simus, populos tibi & hosce regamus,
Da precor, vt duret nostro cum stemmate virtus
Quam tua præsentem dedit ac seruauit in horam
Ascanijs Ducibus, magno, Pater alme, fauore.

Glorior: at numero tua, non mea dona, benignam
Agnosco dextram, nobis quæ grandia sponte
Munera porrexit iam multa in secula mitis.
Nobis Saxonicum, quàm latè effunditur Albis,
Nobis Marchiacum procul hinc ad clymatis vsq̄,
Sarmaticæ populos diadema & sceptrum dabantur.
Non referam, quæ bella potens mea gesserit olim
Gens animosa, quibus nostrum sit stemma triumphis
Eximium, quidnam Bernharti, quidq̄ Rhodolphi
Albertiq̄ olim fuerint, quæ castra locarint,
Quæq̄ trophæa, quibus virtutibus inclyta semper
Stirps nostra hæc fuerit: non me laudabo, meorum
Non cognatorum celebrabo carmine dotes:
Sed tamen hæc minimè tua maxima dona tacebo.
Quod tua præ reliquis curarit dogmata nostrum
Stemma tuo auxilio, quòd nos tibi manserit inter
Hospitium,

Hospitium longo iam tempore, quodq̄ fidelis
Extiterit semper tibi mysta Georgius heros,
Ascanij summum decus ordinis atq; corona,
Ergo agé ne pereat genus hoc, tibi viuat, & vsq;
Floreat, & semper curet tua munera opesq;
Pace tua moriar, mea sic iam postulat ætas,
Et me iam tædet mundi, mihi viuere durum,
Atq; mori dulce est, cum Christo viuere tandem
Gestio, fac potiar votis, mihi blandaq; somni
Instar contingat mors, abripiarq; per auras
Ex his ærumnis, ad gaudia firma polorum:
Attamen in terris homo dum dominabitur orbi,
Fac maneat nostrum genus hoc, fac duret in omne
Tempus, & imperio placito tibi seruiat vni.

Quondam sylua patens fuit ordinis huius Anhalti,
Et passim Ascania dominos hæc terra fonebat.
Sed nemus id penitus concisum est falce potenti
Inuisæ Lachesis: superest post me vnica solum
Arbor Ioannis, quæ debilis ipsa duobus
Constat & incumbit ramis, non surculus vllus
Hos ornat, timeo sterilis ne concidat olim
Hæc arbor: sed tu potis es cauisse ruinam
Prole data, sobolem quæ post se fausta relinquat.

Da precor Ernesto Ioachimo pignora lecti
Mascula, Bernharde dulcis largire benignus
Posteritatis opes in quæuis tempora vitæ.

Scis

Scis quàm syncera sit amans pietatis vterq̄,
Quàm vigiles curent tua dogmata pura doceri,
Quàm sint virtutum studiosi, quàmq̄ fideles
Officij accepti custodes, quàmq̄ bonorum
Constantes animis fautores, quàmq̄ benigni
Hos erga, quàm non laudent facta vlla malorum.
Horum fac plures viuant: his redde quod olim
Detractum: digni sunt tales nomine, & ampla
Fortuna, tales etiam tua regula poscit.

Sunt aliqui curæ quibus est gula sola, Venusq̄
Tanquam sint omnes fruges consumere nati:
Sunt quibus est vnum studium corradere nummos,
Et cumulare sibi terras, munitaq̄ castra,
Atq̄ inopes premere, & magnas seponere gazas:
Deniq̄ sunt etiam venando absumere tempus
Quos iuuat, aut vanis noctesq̄ diesq̄ subinde
Lusibus atterere, & committere cætera auaris,
Vt mandent quæcunq̄ velint, sua commoda quærant
Alterius damno, mites numerantibus vnis,
Transmittant volucres magnas, teneantq̄ premendo
Exiguas muscas, & figant atq̄ refigant
Ad sua vota bonas leges, his fraudibus omnes
Extenuent passim loculos, æraria & ipsa
Heroum, ne sint quæ conuertantur in vsus
Mandatos, inopi quæ dentur, quæq̄ scholarum
Templorumq̄ sibi capiant habeantq̄ ministri.

B Tales



Tales pelle procul dominos, atq; vtere iustis,
Pro se, pro reliquis, qui commoda publica querant.
Tales Ascanio multi de stemmate surgant
Pace tua, ô mitis pater ac iustissime Rector
Rerum cunctarum, quas totus continet orbis.

Hæc dux Ascaniæ gentis Vuolfgangus, Anhalti
Gloria, iam moriens est supplice corde precatus,
Et tres vnius diuini numinis, orans,
Personas crebrò secum repetiuit, in ista (MITIS
Verbaq; prorupit, TRINO SVB NOMINE
O DEVS VNE IVVA, clemens miserere tuorū.

Annuit hisce pater facilis, sobolemq; petitam
Mittere constituit per CL Aram Hagnemq; pudicas
Ascaniæ Dominas Aularum, coniugis vsu
Cuiq; sui optatam promittens ordine prolem.

Nec mora, mox illo gnatum sibi concipit anno
Hagne quæ iuncta est ERNESTO principi, Anhalte
Clare, tuo, tandem qui nascitur omine fausto
Anno qui sequitur memoratum tempore Verno,
Cum iam nona dies Maij illuxisset, & horam
Bis quintam ascendens nobis signaret Apollo.

Hæc te fausta dedit nobis lux Iane Georgi,
Quæ redeat multos tibi leta & grata per annos.

Hic annus cum se, Capricorni sole tenente
Extremas partes, iterum redeunteq; nobis,
Exereret, superum dono pulcerrima costa
Bernhardi

Bernhardi gnatum quoq; concipit inclyta CLARA,
Quem parit hoc ipso nobis feliciter anno
Sub noctem, pie Galle, tuam, cum frugifer umbras
Et placidos somnos auget, iamq; recentis
Mitteret autumnus gratissima munera vini.

Scilicet hoc nobis datus es FRANCISCE Georgi
Tempore, quod gratis vicibus tibi sapè recurrat.

Quin etiam hoc iterū prægnaans quoq; redditur anno
Hagne, illustre decus, felix & mater, Anha te
Magne, tui generis, Maij redeunteq; luce
Vndecima, medium post solem vbi quarta propinqua
Hora fuit, nobis producit fausta secundum
Filiolum, Christi de nomine qui sibi magnum
Nomen & omen habet, duce quo viuatq; regatq;.

Nascitur ille anno quo præstans Gallica Regem
Nobilitas proprium, Christi crudeliter agnos
Mactantem vicit, cælestis dogmata verbi
In suggesta vocans, tollens & idola Bahalis.

Sic tres Ascaniæ dominos dedit vnus hic annus
De Maio ad Maium, prægrandi munere patris
Æterni, qui cuncta potest, quiq; optima quæq;
Largitur, precibus dum quæritur ille piorum.

Qui prius haud potuit formator Apollo, recurrens
Ter nouies, vnum dominum producere Anhalto,
Ille idem Geminos dum quærit, aditq; secundo
Tres nunc Heroës natos miratur Anhalto.

B 2 Hoc

Hoc certè rarum diuini pignus amoris
Thura, melosq; sacrum, doctumq; pœma requirit,
Angelicosq; sonos, & grati pectoris hymnos,
Letitiæq; modos omnes, pictisq; coronas
Floribus ornatas, & munera grata culinæ,
Et quæ dent animos & gaudia dona Lyæi.
His cytharæ accedant, atq; organa musica quæuis,
Campanæq; sonent, rarissima gaudia, Martis
Instrumenta globis quæ sunt, nitroq; referta,
Iam quoq; letitiam flammato puluere in auras
Emissa, & claro signent fulgore, nec vsq;
Durius impingant, non vllaq; corpora lædant.

Iam pice nutritus, formatus & arte, potenter
Ignis edax claras protrudat in aëre flammæ,
Et noua designet vicinis gaudia pagis.

Hæc etiam in cœlo gratissima nuncia spargit
Luna Ioui coniuncta, petens, ac cætera deinde
Sydera currendo felix & lumine plena.

Aurea donentur iam munera, portet auenas
Rusticus, atq; Thetis pisces, ceruosq; Diana,
Perdices Iuno: sua det quoq; munera largus
Quisquis habet, possunt quæ condecorare triumphos

Clamet Io populus, confirmet gaudia cuncti,
Atq; preces fundant his verbis, pectore fido.
Summe Deus, gnatum propter qui mitis ab alto
Demittis sanctum cum donis lumen Olympo,

Qui

Qui nunc his terris Heroës quinq̄ dedisti,
Hos ipsos serua numero & virtutibus auge,
Et rege propitius, viuant vt tempore longo
Incolumes, & grata tibi faciantq̄ probentq̄.

Quæ tua sit, discant porrò, diuina voluntas,
Credere quæ iubeas, quæ scire, & mente fideli
Quærere, quæ facere, & si facta probare, suisq̄
Ornare officijs & quæ vitare, seueris
Factaq̄ supplicijs punire & porrò cauere.

Hæc eadem curent in templis recta doceri,
Ac purum seruent humana dogma salutis,
Hereticosq̄ fugent, damnent, apteq̄ reducant
Errantes: illis hæc prima atq̄ vltima semper
Cura sit, incipiant, claudantq̄ hac omne dierum
Officium: sola hæc reddit seruatq̄ beatos.

Proxima sit pacem seruare, & iura tueri
Publica, ne iustus lædatur, neue maligni
Impunè offendant alios, sua quisq̄ tueri
Vt possit, miseris vt consolatio certa
Contingant, iusto ne destituatur egenus
Præsidio, in cunctis ad commoda publica dexter
Vt vergens oculus patriæ moueatur in vsus.

Tertia priuatis tribuatur cura, sit illa
In sobolis directa animos, formentur vt illi
Ad patris æterni placitum, ad virtutis honores
Communesq̄ vsus, vt possint viuere sani

Et facere officium mandatum, atq. inde vigere
Atq. placere tibi, & grati mortalibus esse,
Et florere suis maioribus, & sibi, & illi,
Quam nacti fuerint, soboli, tandemq. perenni
Imperio in caelis cum Christo Rege potiri.

Deniq. postremum studium sic quaerere victum,
Quicquid & hunc ultra sibi corpus, vitaq. praesens
Postulat: ista tamen cum te duce sponte sequantur
Caetera si faciant mandata, haec cura sit illis,
Pro se, proq. suis ut seruent parta, nec illa
In vanos usus vertant, segnesq. perire
Concedant, opibusq. suis dominantur, easq.
Non sibi permittant mentemq. manusq. tenere,
Cum res, cum virtus cum mos, pauperq. iubebunt
Acceptos iterum reuocare & fundere nummos.

Haec etiam largire nouis, pater optime Christi,
Principibus, tanta quos tu bonitate dedisti,
Ut nostrae quondam sint posteritatis asylum
Atq. duces: patriae fac patres ordine regnent
In laudes pater alme tuas, in publica mundi
Commoda, & ad nostros usus propriamq. salutem.
Fac ut aui tandem cernant, videantq. nepotes
Sorte pari, firment & in omnia tempora celsum
Stemmatis Ascanij nomen, dotesq. domusq.

Ista precare vigil, quicumq. haec nuncia leta
De tribus his vno natis Heroibus anno

Cognosces,

Cognosces, dominos, populosq; & culmina Anhalti
Quisquis amas, quisquis prudens bona publica curas.
Adde etiam, vt pergant superi has augere columnas,
His vt quinq; addat sextam post tempora pauca
Coniugium CLARÆ & Bernhardi sydere fausto.
Hosce pios tractent iam nunc conuiuia læta
Sermones, horum moderata ad pocula fiat
Mentio votorum: viuant natiq;, patresq;
Ascanij, viuant matres, domus omnis Anhalti.
Viuat, & in templis conseruet dona salutis,
Inq; foro iustas leges, ac vndiq; pacem.

NOMEN ANNVS
& mensis.

ChristianVS prInCeps AnhaltI & AscanIæ
Malo naſCitVr ChrIſto.

ANNVM ET MENSEM
breuius indicat hic versiculus
dimeter.

SVbfLorIbVs Mall DatVs.

Alia

ALIA SENTENTIA AN-
num solum indicantes literis nume-
ralibus.

VirtVs & pLenItV Do gratie Magna.
Es Ist e In se Ine Gottes Des Vaters a Vfe-
ger Vtte Et Mas.

VrVs Leone fortlor, haVD anImoslor:

Sed tamen

TriVMphat VrVs VaLens In Deo potentI.

Et sic

VrVs DoMInabIt Vr LeonI.

At

FeLIX DoMInet Vr ple.

Et in hoc

PatrIs seqVat Vr Magna Dona FILIVs.

Geruasius Marstaller Doctor
Medicus Anhaltinus.

Breue

BREVE CARMEN

IN HONOREM RECENS NATA

TI PRINCIPIS CHRISTIANI

flij Illustrissimi Principis ac Domini, D.

IOACHIMI ERNESTI

Principis Anhaltini &c.

ERGO quod in votis iam sepè petiuimus omnes,

Scilicet vt tandem numerosa stirpe vetustam

Ascaniæ auget sedem Rex magnus Olympi

Fundator tribuum, generosi & sanguinis autor,

Id nunc clementer numeris ingentibus implet:

Atq; iterum in Christo se nato principe iactent

Ascaniæ Heroës, quibus est ab origine longum

Antiqua nomen proavis, atavisq; celebre,

Mansurumq; annos sub posteritate futuros.

Ecce Dei sic larga venit benedictio patri,

Ducit & ex animi vitalis stamina voto

Aurai, si perpetuò vocet ore Tonantem,

Atq; vias sine peccatis benè nouerit ire

Acceptas superis, siq; omnis fixa Deo spes,

Et timor, & sub corde fides immobilis hæret.

Nec verò tantas Diuorum carmine dotes

Concelebrem satis, aut grates, nec debita versu

Premia, qui terras, qui sydera, & omne, Parenti,

Consilio regit æterno, cui prolis origo

C

ES

Est curæ, qui longos stemmata seruat in annos,
Atq; tribus, referam, rigui si fluminis instar
Affluat ingenio verborum copia nostro,
Ipse vel è superis mihi carmina dicet Apollo,
Vel quoq; cœlesti virtutem suggerat aura
Pieridum Chorus, in numeros verba apta recludens.

Est adeò res magna, Deiq; potentia præsens,
Et virtus, & connubij benedictio casti,
Vno augere tribus præclaram Heroibus anno
Ascaniæ sedem, sobolemq; in secla futura
Instaurare nouam & reuocare in germina gentis.

Est adeo multo iam concelebranda parentis
Æterni fauor, & triplicis clementia versu
Numinis, extremè dubia iam sorte minantem
Interitum lapsu sedem, tectumq; columnis
Innixum binis saltem, præuertere fulcris
Suppositis, iterumq; nouæ fundamina tandem
Ædificare domus, longum durantia in æuum:
Hoc est, & nomen sub seram extendere gentem
Ascanium, & patrias generare in sanguine laudes.

Hec ego si benefacta Dei iam scribere pergam,
Si genus, & stirpem proauorum & facta tuorum,
(Vt mos est Musis, & consuetudo Poëtis)
O Princeps Erneste canam: si deniq; mentis
Integras describo tuæ, fratrisq; Berhardi
Illustres animi dotes, & pectoris omnem

Virtus

*Virtutem, ardoremq; pium, iustumq; colentis:
Si mea carminibus de nato principe vellem
Gaudia, & applausus ostendere pluribus antè
Clauderet igniferum tenebrosus vesper Olympum.*

*Atq; ego Typographi digito dum carmen adhæree
Supremo excusum, tibi quod Geruasius arte
Excellens medica, princeps Ioachime dicauit
In laudes Erneste tuas, & filij honorem,
Ac mea sub finem iam iam cupit addere scripta
Expectans, cesso, mediaq; abrumpere vena
Inuitus cogor conceptos ordine versus.*

*Tu verò Deus alme domum qui prole benigna
Anhaltinam auges, atq; hunc Baptismatis vnda
Per verbum, & nati saluantis vulnera propter,
Ernesto partu genitum de matre secundum
Suscipis infantem, Christi de nomine dictum,
Da precor, vt memoret longo pater ordine natos,
Et teneri viuant Heroës Nestoris annos.*

*Scribebatur VVitebergæ XVI. Maj
à Stephano Schirmeister
Naumburgensi.*

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Jf 4600

ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XV

24


POEMATA
 TRIBVS PRIN
 BVVS ANHALTINIS,
 S VNO ANNO DE MAIO
 IVM NVMERATO, AC TRÆCITVB
 ns nato Principe Christiano filio Illustrissimi
 ncipis ac D. D. Ioachimi Ernesti Principis
 Anhaltini, Comitis Ascania &c.

Autoribus

VASIO MARSTALLERO
 Doctore : Medico Anhaltino,

Et

PHANO SCHIRMEISTER
 Naumburgensi, artium Magistro.



67

QVITEBERGÆ ANNO

Mo D. LXVIII.

40

